

INDUSTRIA NATURÆ
SUAS OPES ET OPERAS EXPLICANTIS
IN OPERIS FRONTISPICIO.

Ipsa suis præstans opibus, nil indiga nostri,
Involucro *Natura* sacro Myſteria velat.
Scandere nemo vias poterit, nec pandere plena
Scrinia gazarum, niſi quem Fortuna juvabit
Æquior. Imperio fruitur *Natura* Potenti,
Sceptra gerat ſpectata manu, moderatur habenas
In rebus cunctis. Ejus miracula cernit
Ingenio pollens Medicus, confinia mundi
Solenter ſpectans. Hic ſe ſociata propago
Aëris ac Ignis, Telluris & Equoris offert,
Ira quid efficiat *Flammæ* fervida, motâ
Vulcani rabie, cœloque ſimillimus *Aër*.
Integra *Telluris* moles, circumfluus *Humor*.
Scire decet, nec ſcire ſatis: tentare neceſſum
Corpora, Natura cauſas librare latentes.
En triplex *Regnum*, cui ſubdita magna poteſtas!
O Natura ſagax! *Animalia* gignis & auges,
E gremio terræ ſplendentia dona *Metalli*
In varios uſus de cornu divite promis,
Quam varias *Plantas* in pulchris exſeris agris,
Latificos florum, Zephyro ridente, colores?
Florea rura micant, velut inter *Cynthia* ſtellas.
Verum *Dædaleæ* penetrare ſacraria *Matris*,
Et cœcos aperire ſinus, tacitosq; reſſus,
Aurificis *Regnum* triplex expendere librâ,
Hoc virtutis opus, Fortunæ nobile munus,
Quali concinnat redolentia *mella* labore
Filia *Veris Apis*, gratiſſima civis *Hymetti*:
Per varias operas, conamina ſedula dextræ
Aſſequitur *Medicus* *Verum*, mendacia vulgi
Sordent: adjuſtu *Sacratæ Palladis* alta

Culmina conſcendit, Myſteria gnævus anhelat,
Armis & parmis pugnandum fortiter, haſtis,
Enſibus & clypeis in caſtris *Palladis Alma*.
Eſi Vita brevis, perfectio longior Artis
Hac brevitate caret, conſtanti forte perennans.
Firmat eam *Ratio* & *prudētis* mentis acumen.
Et ſapit & vigilat, cauſas examinat omnes
Filius *Artificis* *Naturæ*: nulla voluptas,
Deliciæ nullæ ducunt ſolertia corda,
Eſt *DEUS* in *Medico*, furor igneus, enthe' ardor,
Eſt tibi *Mercurius* *Genius*, qui ſubvehit *Alis*
Æthereos animos & *Virgâ* abſcondita monſtrat,
Nec mora, nec requies: *Hermetis* dona petuntur,
Cœleſtes rerum vires & munera *Divûm*,
Cœlum *Terra* petit, mens *Summa* tuetur & *Ima*.
Nescit enim *Virtus* occulta, ſepulta jacere.
Emicat, atque caput ſuper omnia cætera tollit,
Naturæ contemnit opes, gazasq; *Chymia*
Inter verveces, craſſoque ſub æthere natus.
Numen amat *Doctum* *Medicû*, *Medicamina* dextra:
Prudens quiſque colit *Medicum*, querendo medelam.
Non locus hic monſtris, Erebo vel ſulphure di-
Quæ juvat interitû tantæ meditariæ *Arti*. (gnis,
Zwelferum conſtat felici ſidere natum,
Naturâ *Genitrice* ſatum, qui fulgida *Divûm*
Munera *Divino* produxit acumine mentis.
Hoc teſtatur opus, quod luminis aſpicit auras,
Effugiens cineres, ac ære perennius omni.
Verius haud quicquam de *Phœbi* tripode dictû,
Armiger ille *Jovis*, pennis pernicious auras
Sulcans, in libri formosâ fronte ſuperbit.

TE FERDINANDE, PATER PATRIÆ MITISSIME NOSTRÆ,
CÆSAREUM NUMEN, quod facta Inſignia Magnum

Fecerunt, quod fama Polis æterna locavit,
Te Patrem cognôſcit opus, *Summumq;* *Patronum,*
Magna molis opus, ſudore, labore paratum.
Singula ſunt dextrè, prudenter tradita, doctè,
Singula confirmat perſpecta *Peritia* rerum,
Et *Ratio*, *Medicæ* firmiſſima fulcra cohortis.
Geſtit *Apollinæ* proſapia tota catervæ.
Pharmacopœus ovat, *Cimelia* ſplendida nactus,
Cordivoros morbos, tristes pellentia curas
Devotis votis *Bonitas* *Suprema* roganda eſt,
Ut per *Zwelferum* ſuccreſcat doctior orbis,
Ingenii monumenta ſacri magmenta capeſſant!
Sic ſecura malis virtus inviſta manebit,
Mordacem linguam, ronchos & ſibila *Momi*,
Et *Lethum* & *Lethen* contemnet *Nobile* *Verum*!
Zwelferi ſtudium *Sanctiſſima* *Gratia* *Cœli*
Ditet, qua valido torques *Sisypæra*; *Inſera* nutu!

POTEN.